







cf. W. 1. 14.

VIRVM CLARISSIMVM  
**PAVLLVM KESLERVM**

IVRIS VTRIVSQUE CVLTOREM SOLERTISSIMVM  
 AMICVM SVVM SINGVLAREM  
 PATRIS SVI OBITVM MOERENTEM

VIRI

NOBILISSIMI PRVDENTISSIMOQ.  
**PAVLLI KESLERI**

REGII ET ELECTORAL.

QVAESTORIS VITEMBERGENSIS

IPSO EXEQVIARVM DIE

VII KAL. FEBR. clb 1606

CONSOLARI CONATVR

**M. IO. DAVID. KOELERVS**

COLDICIENSIS MISN.

—————  
 VITEMBERGAE IN SAXONIBVS

EX

OFFICINA HAKIANA

**N**isi me ipsum privatim tangeret vehementerque conturbaret communis illi dolor, qui ex Patris tui repentino obitu ad me pervenit, consolandi te fortasse consilium caperem, teque a moerore et luctu revocare conarer. Nunc, cum ipse domestica tua calamitate ita commovear, vix ut mihi verba suppetant, tuarumque ego lacrymarum ubertatem intuens, aegre mihi ipse temperare ab lacrymis queam, nescio, unde leniendo luctui tuo solatia conquiram, cum praesertim ea tibi plaga sit inflicta, quae haud sanari posse videatur. Angitur profecto animus forte hac tua perquam indigna, et excrucietur, orbitatiqve ac solitudini, et subitae adeo felicitatis tuae vicissitudini, ingemiscit. Patrem enim optimum indulgentissimumque, morte tibi prorsus improvisa interceptum, desideras, qui te arctissimo ac vere paterno fuit amore complexus, omnibusque ornamentis cumulavit, cuius hoc tibi gravior est iactura, quo maius familiae tuae decus et lumen, quo firmius tuae iuventutis praesidium et robur, tam tristi funere, tam insperato, iam est sublatum. Quam afflicta exinanitaque hac clade sit tua vita, dolor, lacrymae;  
fin.



singultus, squalor ille tuus, declarant, dum partem vicerum tibi ereptam sentis, eosque ipsos annos, quos tibi dulcissimos fore existimabas, desiderio illius, tam vehementi, quam iusto, experire peracerbos. Resistendum vero est doloris magnitudini, animusque ab hoc mæroris acerbitate abducendus ad eam gloriam, atque ad eam adeo felicitatem, in qua tranquille Pater ille tuus iam versatur, quippe qui talem semper se in officio suo gessit, ut, in censuum redituumque Regionum administratione, fide, industria, dexteritate, omnes facile Quæstores superare videretur. Omnibus ergo vitæ partibus felicissime et sine prolapione peractis, molestiarum, quæ turbare ipsum poterant, curam abiecit, atque ex statione laboris et periculi plena opportune discessit, nullaque miseri morbi ac diuturni gravitate confectus, ad illam immortalem vitam celerime placidissimeque abiit, ad quam divina quædam cupiditate integer adhuc et florens nunquam non aspirare solebat. Iam vero, ingressus novas aeternasque sedes et domicilia piis constituta, in DEI conspectu et coelitem coheredumque divinorum societate, sempiternæ illius quietis

quietis possessione perfruitur, perenniſque laetitia inter puras beatasque matris, fratrum, et ſororis tuae, mentes exultat, DEI clementiam precibus caſtiſſimis exoraturus, ut te, ſerali hoc ictu veluti proſtratum, erigat, ſpesque fractas reſtituat, et coelo quaſi undique tactam domum ſuam fulciat propitius et conſervet. Tu modo converte te ad paternae virtutis imitationem, eiusque inſiſte veſtigiiſ, atque ad eius ſimilitudinem te totum para et ſinge, ut iuſdem itineribus ad honores contendas, quibus Pater ille tuus incedendo pervenit, eamque appetas bene actae vitae gloriam, quam beate moriens poſt ſe reliquit. Quod cum illius erit ſanctiſſimis amantiſſimisque tui manibus ad quietem iucundiſſimum, tum utile tibi inprimis et glorioſum, omnibusque adeo gratiſſimum, ut, cum te aſpiciant, de Paulo, Patre tuo, eiusque virtutibus cogitent, et in te, tanquam ſpirantem Patris imaginem ac vivum eius ſimulacrum, intuentes, amiſſi iacturam Patris vel ſic conſolentur.



Ung VI 3

W 18  
V 17





cf. W. 1 14.



CLARISSIMUM  
 VM KESLERVM  
 CVLTOREM SOLERTISSIMUM  
 VVM SINGVLAREM  
 OBITVM MOERENTEM  
 VIRI  
 MI PRVDENTISSIMIQ.  
 I KESLERI  
 T ELECTORAL.  
 IS VITEMBERGENSIS  
 XEQVIARVM DIE  
 L. FEBR. clb lcccVI  
 LARI CONATVR  
 AVID. KOELERVS  
 DICIENSIS MISN.  
 RGAE IN SAXONIBVS  
 EX  
 CINA HAKIANA

